

Christoph Martin Burchard

**Programma Funebre, Qvo Rector Academiae Rostochiensis Christoph. Martinus Burchardus ... Ad Exeqvias Qvas Viro ... Domino Dn. Walthero Stein, Senatori Rostochiensis Gravissimo Et Mercatori Florentissimo Felicissimo De Patria Optime Merito Anno MDCCXXXIX. Die X. Febr. Honorifico Comitatu Persolvendas Moetissima Vidua, Et Liberi Afflictissimi Curabunt, Proceres, Et Cives Academicos ... Peramanter Invitat**

Rostochii: Typus Ioan. Iacob. Adleri, [1739]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1798137542>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Protokolle Protokoll-Programme,  
meist Festsätze in dazujen bürgerl. Familien btes.

(Zinsin u. d. nobilitierten Familien:


Nettelblatt, Preen, Quistorp, Schoepffer, Schuckmann  
u. Or. )

82 Stücke

Mklb Gen - 40  
2/3 II

9/1  
Hain.  
1833.





1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30


Leichenprogramme, alphabetisch geordnet  
nach d. Namen d. gefeierten Person, nebst Sterbejahr.

L - Z

1. Quistorp, Anna Christina, geb. Lenthe. 1753
- 2/3. Luger, Johann Georg. 1748.
4. — — — (Vater). 1751.
5. Mantzel, Kaspar. 1735.
6. — , Maria Justine Margarete. 1742.
7. Schweder, Margarethe, geb. Meyer. 1728.
8. Neusling, Catharina Margareta verh. Pries. 1733.
9. Michelsen, Andreas. 1730.
10. Becker, Catharina Elisabeth, geb. Michelsen. 1744.
11. Michelsen, Christoph Andreas. 1746.
- 12/13. Jaddel, Isabe Dorothea, geb. Michelsen. 1745.
14. Müller, Karl Ludwig. 1761.
15. Nettelblatt, Heinrich [Vater] 1735.
- 16/17. — — — [Sohn] 1761.
18. Neucranz, Anna Margareta. 1726
19. Niehenck, Joh. Balthasar. 1738.
20. Niemann, Johann. 1746.
21. — , Michael. 1729.
22. Oerthling, Joachim Felix. 1745
23. Meyer, Anna Maria, geb. Pauli. 1738.
- 24/25. Engelsen, Maria, geb. Pansen. 1738.
26. Petersen, Johann Christian. 1766.
27. Pohn, Wilhelm. 1751.
- 28/29. Pries, Joachim Heinrich. 1763.
30. Quistorp, Hugo Theodor. 1732.
- 31/32. — , Johann Jakob. 1767.
33. — , Lorenz Gottfried. 1743.
34. — , Johannes Christian. 1722.

35. Ressor, Julius Friedrich. 1740
36. Redeker, Heinrich Rudolf. 1716.
37. Richter, David. 1753.
38. Danckwarth, Catharina Emerentia geb. Schaeffer. 1737.
- 39/40. Schaper, Johann Ernst. 1721
41. Scheffel, Heinrich Gustav. 1738.
- 42/43. Schmidt, Jonas. 1745.
- 44/45. Schoepffer, Johann Joachim. 1719.
46. Schuckmann, Heinrich. 1706.
47. Dörcks, Margaretha, geb. Schuckmann. 1731.
48. Schmidt, Isabe Margaretha, geb. Schwabe. 1743.
49. Zeidler, Anna Emerentia, geb. Schwartz. 1729.
50. Senst, Agneta Sophie, 1729.
51. — Hermann Peter. 1728.
- 52/53. Sibeth, Karl. 1734.
54. Sivers, Jakob. 1729.
55. Luger, Christine Elisabeth, geb. Spalding. 1746.
56. Spalding, Johann David. 1757.
57. — Thomas. 1743.
58. Burgmann, Anna Christina, geb. Stein. 1773.
59. Stein, Walthier. 1739.
60. Stever, Johann Kaspar. 1729.
61. — , Johann Valentin. 1755.
62. — , Theodor Mattheus. 1735.
63. Stieber, Georg Friedrich. 1755.
64. Wetken, Catharina Margareta, geb. Stindt. 1743.
65. Stolte, Christian Rudolf. 1680-1731.
66. — — — 1711-1736.  
Heinrich Christian. 1715-1736.
67. — , Peter. 1733.
68. Jöppel Margareta Catharina; verh. Oldenburg. 1774.

69. Verpoorten, Theodor. 1728.  
70. Weiß, Margaretha Agnes, geb. von Heidenkopf. 1726.  
71. Weidner, Johann Joachim. 1732.  
72. Weiß, Gottfried. 1697.  
73. Wetken, Johann Georg. 1716.  
74. Wilde, Joachim. 1737.  
75. Weidner, Johann Joachim. 1732.  
76. Barnstorff, Anna Margaretha, geb. Willebrand. 1724.  
77. Willebrand, Martin Albert. 1746.  
78. Stein, Anna Dorothea, geb. Wolff. 1744.  
79. Wolfraath, Dietrich Samuel. 1753.  
80. Wulf, Catharina Margareta, verh. Stein. 1734.  
81. Zaidler, Johannes. 1727.  
82. Zinck, Johannes. 1732.



59  
PROGRAMMA FUNEBRE,

QVO

RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

CHRISTOPH. MARTINUS  
BURCHARDUS, 128

MED. DOCT. ET PROF. P. O. FACULTATIS MEDICÆ SENIOR  
AD EXEQVIAS

QVAS

VIRO PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO  
AC PRUDENTISSIMO,

DOMINO

DN. WALTHERO  
STEIN,

SENATORI ROSTOCHIENSI GRAVISSIMO

ET

MERCATORI FLORENTISSIMO FELICISSIMO  
DE PATRIA OPTIME MERITO

*ANNO MDCCXXXIX. DIE X. FEBR.*

HONORIFICO COMITATU  
PERSOLVENDAS

MOETISSIMA VIDUA, ET LIBERI  
AFFLICTISSIMI

CURABUNT,


PROCERES, ET CIVES ACADEMICOS O. O.

UT FREQUENTES ADESSE VELINT,  
PERAMANTER INVITAT.

---

R O S T O C H I I,

Typus IOAN. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.



Memoriam Clarorum Virorum ab interitu vindicare, optimum omnino institutum est, ab antiquissimis temporibus, inter politiores potissimum gentes, jam frequentatum: id quod non solum Virtuti illorum debetur, sed etiam ut consulatur posteritati. Huic, ut exemplis invitata, ac stimolata, Prototypum habeat, ad quem vitam ac mores componat; Illi vero, ne cum corporis destructione, animi bona, ac illustria facta oblivione deleantur. Nam uti monumenta literarum ipso ære, ac mausolæis perenniora existunt, sic etiam Virtutum exempla, à viventibus olim peracta, magis vivam animo relinquunt imaginem, & potentius ad æmulationem concitant, quam nudamorum præcepta, quæ quippe sæpe Juventutem, voluptati plerumque studentem, minus convincunt; Viva vero exempla, nisi quis omnem ejuraverit honestatem, & illustrent pariter & probant. Merito ergo ad scribendi officium me accingo, postquam nuper ex viventium numero ereptus Vir Amplissimus, ac Prudentissimus, Dominus WALTHERUS STEIN, Senator Reipubl. Patriæ Meritissimus, tristissimum Sui nobis reliquit desiderium: nam quamvis iste nec Studiis primario, nec Bello inclarescere allaboraverit, Mercaturæ tamen gloria ita inclaruit, ac excelluit, ut, quia Reipl. pariter interest, ut ad clavum ejus sedeant non Jure Consulti tantum, sed etiam commerciorum experientissimi, dignus habitus sit, quem tanquam præcipuum Urbis nostræ ornamentum, ante plures annos, inter Patres conscriptos reciperet Amplissimus Senatus: in quo munere ita se gessit perpetuo, ut dubium esset, an plus ornamentum exinde acceperit, an addiderit officio. Natus Is est hic

hic Rostochii; Anno præcedentis Seculi Sexagesimo octavo; Patre WALTHERO STEIN Mercatore ac Zythopepta, & Xenodochii Antistite, Matre, ANNA HINCKELMANNIA, nulli in istis, quæ sexum ornant, dotibus secunda. Quemadmodum autem parentes pietati ac vitæ integritati quammaxime studebant, Sic WALTHERUM Nostrum cum reliqua sobole, quam satis numerosam habebant, mature ad pietatem ducere, & succedentibus, imprimis adolescentiæ, annis, ad studia ac labores advescere non negligebant, exemplo æque ac præceptis instru- entes, ut bonos aliquando Reipublicæ relinquerent Cives: atque hæc curam feliciter cessit, ut nec ipse WALTHERUS Noster, nec ex sex fratribus, quos habebat, quisquam, ex virtutis semita deflexerit; sed quotquot eorum fuere, parentibus suis, si non pietate ac vitæ innocen- tia majores, certe dignitate ac lauta re familiari superiores evaserint; rarâ certe fortunâ, & posteris commendandâ, ut appareat, quam ad formationem juventutis valeant exempla domestica, sive virtuti stude- ant parentes, sibi vitiorum præbeant irritamenta.

Nil dictu scædum visusque hæc limina tangat,  
Intra quæ puer est. Velocius & citius nos  
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis  
Cum subeant animos autoribus.

Itaque, cum hoc quoque ad gloriam, certe ad felicitatem beate De- functi non parum contulerit, quod integram familiam habuerit, per plu- res annos florentissimam, non alienum à præsentis instituto erit, si fra- trum ipsius recensum instituero: Horum natu maximus fuit Vir Con- sultissimus atque Excellentissimus Dn. MATTHIAS. STEIN, J. U. Doctor & Prof. olim in hac Alma Senatorius, Famigeratissimus, Secun- dus, Vir Illustris atque Consultiss. Dn. JOHANNES STEIN, J. U. Doct. & Prof. Primarius quondam in Academia Regiomontana, Consiliarius in Supremo Prussici Regni Tribunali, & Consistorii Ecclesiastici Sambi- ensis Præses ac Officialis Fulgidissimus. Tertius DAVID STEIN, Mercator Hamburgensis Felicissimus; Quintus (nam ipse defunctus quartus in ordine fuit) Dn. LUCAS STEIN Mercator ac Zythopepta heic loci florentissimus. Sextus Dn. WOLHARDUS STEIN, Merca- tor apud Lubecenses Primarius; Septimus Vir Consultiss. Dn. CON- RADUS STEIN, J. U. Doct. & Prof. atque Augusto Prussicæ Regi, in Magistratu Regiomontano, à Consiliis civicis, & Curiarum Suprema- rum Advocatus Dexterrimus; quos tamen omnes, ad justum senium provectos, Noster tandem, præter WOLHARDUM Lubecensem, Su- pervixit. Præter hosce, & quinque sorores habuit, probe institutas, & feliciter elocatas, excepta natu minore, quæ innupta mansit ad vitæ fi- nem. Hæc tam Splendida ac Floridissima Familia, Cives, manifestum documentum præbet, ad Familiarum conservationem plus valere pie- tatem ac bonos mores, à parentibus ad liberos propagatos, quam divi- tias, dubia virtute sæpe corrasas magis, quam collectas.

Non enim parentum divitiis aditum sibi ad istam fortunam para- runt, quam postmodum adeo lautam experti sunt, relictis frequentes li- beri: Pietas potius paterna, & propria cujusvis industria, ac virtus, ef- fecere, ut spem parentum non impleverint tantum, sed & superaverint. Confirmat hoc Disertissimus Salomon Proverb. C. XX. 7. Ein Gerechter

Der in seiner Frömmigkeit wandelt, des Kindern wirds wohl gehen nach Ihm quibus respondet iudicium Siracidis. C. XI. 30. Was einer für ein Mann gewesen, das findet sich an seinem Nachkommen. Non equidem universale id esse, exempla cum in Sacris tradita, tum quotidie obvientia, sufficienter ostendunt: nam HISKIAS, Rex Judæ Probissimus, flagitiosissimum relinquebat MANASSEM; & vice versa, AMON, nefarius Idololatra, JOSIAM progenerabat, ab ipsis jam pueritiæ annis sincero pietatis cultui deditissimum. Ast annon & Pii nimia in liberos indulgentia peccare queant, ut licentius eos excrescere sinant, quis dubitaverit? Sic ipse JOSIAS nequissimos reliquit liberos; Sic ELI, Summus Sacerdos, ac Propheta, ex nimio erga filios amore, & istos perdidit, & in seipsum divinam vindictam provocavit. Est enim puerilis animus naturaliter pravus, nequitia studens, ut propterea, quando ob ætatem moralia præcepta nondum capit, aut non admittit, vi ac severitate à vitiis absterendus sit, donec aptus evadat, salutaribus monitis aurem præbere. Thorheit steckt dem Knaben im Herzen, aber die Ruchte der Zucht wird Sie ferne von Ihm treiben Proverb. C. XXII. 15. it. Siracid. Beuge Ihm den Hals, weil Er noch jung ist, bleue Ihm den Rücken, weil Er noch klein ist, auf das Er nicht halstarrig und dir ungehorsam werde. Quemadmodum ergo accidere potest, ut parentes probissimæ vitæ, ob nimiam indulgentiam, aut nescio quo fato, filios relinquunt, penitus degeneres; Sic quoque interdum evenit, ut à pravis producantur probi, si nempe casu, aut ita dirigente divina providentia, pueri mature incidant in manus boni Præceptoris, & propterea agnoscere discant vitia suorum parentum; imo eo magis à talibus abhorrere advescant, quo magis dolent, ab iisdem contaminatos illos, quibus filialem debent observantiam. Nec desunt mihi exempla quorundam, qui cum sponte agnoscerent pravitatem sui cordis, & in quibus delinquerent ipsi, ea tamen erant prudentia ac verecundia, ut sedulo caverent, ne malo exemplo liberis præirent, aut sua autoritate ad similia delicta eos invitare viderentur.

Maxima debetur puero reverentia: si quid

Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos,

Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Itaque & pravæ indolis Pater studere potest, ac efficere, ut filios relinquat Patriæ idoneos, utilesque, si propriam culpam, aut in quibus delinquit, agnoscat, & eo magis sollicitè caveat, ne liberi occasionem habeant, eadem premere vestigia. Rariora tamen sunt ejusmodi exempla, rarius felici gaudent eventu. Qui enim is, qui sua delicta perspecta habet, eaque non corrigit, gratiam ac benedictionem divinam sperare potest, ad sobolis suæ educationem? præterea, probrosa vita non semper tam sollicitè velari potest, quin interdum in oculos, auresve liberorum incidant parentum flagitia. Itaque nec boni Patris, multo minus veri Christiani fungitur officio, qui vitæ turpitudinem, quam agnoscit, tanquam lapidem offensionis, non penitus tollit; exempla enim, imprimis domestica, corrumpunt bonos mores, adeoque non mirum, quod plerumque parentum vitia ad posteros propagantur, juxta illud Germanorum: Der Apffel fällt nicht weit vom Stamm. Quemadmodum ergo a malis, mali, sic ut plurimum a bonis boni progenerantur: certe melius sibi suisque consulunt, qui non monitis tantum, &

fida

fida per Præceptores manuductione; ipsis viam ad virtutem præmon-  
strant, sed moribus etiam ac exemplo præeunt ipsi, securi quippe ma-  
gis de benedictione divina, si nihil intermittant, quod ad formationem  
liberorum pertinet, ut Patriæ reddant bonos Cives, Deo vero bonos  
Christianos. Sed merito hic quæritur, An quilibet a parentibus suis  
probe educatus ac edoctus, & præterea Christianam & Civiliter lauda-  
bilem vitam vivens, æqualiter ad lautam fortunam accessum ac occa-  
sionem sperare debeat ac possit? Respondemus omnino, quemadmo-  
dum id in Beato Demortuo, & integra, Splendidissima STEINIANA  
Familia observavimus: qui enim illud, *Ora & labora*, quod in Symbo-  
lum sibi Noster elegerat, fideliter cum ipso observat, & pietatem, cum  
industria ac labore jungit, is de benedictione Summi Numinis, & felici re-  
rum suarum successu dubitare nequit. Interim aliqui, imprimis illo-  
rum, qui studiis operam dant, diu nonnunquam expectare coguntur,  
priusquam aliquod obtineant officium, vel Sacrum vel Civile; alii ve-  
ro practicam vitam agentes, aut mercaturæ vel opificio addicti, nun-  
quam satis emergunt, sed parce ac duriter per totam vivunt ætatem, eti-  
amsi illis objici non possit, quod vitam instituant, vel Christiane, vel  
Civiliter malam. Imo vero in consuetudinem nunc abiit, ut plerique  
conquerantur de miseria, & iniquitate temporum, quasi eos res devenerit, ut  
sibi suisque non amplius consulere queant, si ista tempora perdurent.  
Ast crediderim, Sapientissimum Salomonem huic themati lucem accendere  
posse, cum dicit: *Alles hat seine Zeit; Man arbeite wie man wil, so kan  
man nicht mehr ausrichten. Gott aber thut alles fein zu seiner Zeit, und  
läßt der Menschen Herz sich ängsten, wie es gehen soll in der Welt, denn  
der Mensch kan doch nicht treffen das Werk das Gott thut, weder An-  
fang noch Ende.* Ecclesiast. Cap. III. II. Præterea dubium, an isti, qui de fini-  
stra fortuna conqueruntur, veram conquerendi occasionem habeant?  
sæpe vitæ mollietates, gulæ cupiditas, affectatio externi splendoris, quos-  
dam ad prodigalitatem invitat, cujus filia est indigentia; alii ocio ni-  
mium indulgent, cum tamen Deus velit, ut strenue rem agamus. *Im  
Schweiß deines Angesichts sollt du dein Brod essen.* Alii etiam plus desi-  
derant, quam æquum est, aut necessitas postulat; nam etiam in futu-  
rum tempus sibi prospectum volunt, cum tamen Salvator jusserit expe-  
tere panem quotidianum, & quidem hodie, *Unser täglich Brod gib  
uns, heute,* non in plures annos sufficientem. Hinc etiam præcipit, ut  
non solliciti simus de futuro, *Sorget nicht für den andern morgen, denn  
ein jeder Tag wird für das seine sorgen.* Itaque præsentia curemus, Cives,  
Domino vero committamus futura: Contra vero, in Deum injurii sunt,  
qui divitias eum in finem vel misere exoptant, vel colligunt sollicite,  
ut nec ipsi, nec liberi, Summi Numinis Providentia ulterius indigeant;  
Nefanda sunt, quæ nonnunquam audiuntur: man wolle seinen Kindern  
so viel nachlassen, daß sie die vierte Bitte eben so ängstlich nicht beten  
dürfften: man habe schon genug in dem Punct für seine Kinder gesorget.  
An nescis impie stolideque homuncule, Deo longas esse manus? Re-  
ctius ergo vivitur, si quilibet dies fronti suum afferat sudorem pariter,  
ac suam benedictionem. Si providentia est Character divinus, sequitur,  
quod futurorum non adeo solliciti esse debeamus; vivamus hodie, pie  
ac prudenter, & parata erit via ad crastinam felicitatem. *Trachtet*

B

am

am ersten nach dem Reiche Gottes, so wird Euch das übrige alles zufallen. Si ergo sponte nobis accidunt bona fortunæ, non necesse est, ut tam anxie ea conquiramus. Si autem quis veram conquerendi habeat occasionem si tantum non inveniatur, nec sua industria possit acquirere, quantum quotidianæ expensæ postulant, necesse est, ut causæ aliæ subsint, in ipso forte homine, e.g. si quis malam electionem instituerit Studii, Artis, aut Opificii, ita ut ad istam functionem, cui se addixit, non ea afferat animi vel corporis dona, quæ ad ejus exercitium requiruntur; Einer ist zu dem Studio oder Kunst, so Er erwöhlet, von Natur nicht recht geschickt. Differt enim mire Artifex ab Artifice, adeoque non mirum, si is, qui officio suo non rite satisfacit, emergere non possit. Præterea nonnunquam plures Artifices, plures Eruditi, ejusdem Professionis, ad locum quendam confluunt, quam commode is ferre aut alere queat. Zum Exempel: Wenn 50 Schuster an einem Orte sich nicht reichlich, doch füglich ernähren können, so folget von selbst, daß wenn sich 70 oder 100 daselbst nieder lassen, daß der Verdienst gar kümmerlich werden müsse, & sic in cæteris se res habet. Non parum quoque interdum quædam opificia sibi ipsis officiant, ut ad lautiores fortunam pervenire non possint. Zum Exempel: wenn ein Tuchmacher sich bemühet vor andern zu excelliren, und besser Tuch machen wolte, als bishero üblich gewesen, so leyden solches die übrigen nicht, sondern straffen Ihn ab, nach ihrer Rolle. Idem in Pistoribus locum habet; Ein Becker darff kein besser Brodt, vielweniger eine andre sorte backen, als die übrigen, oder Er wird abgestrafft. Nunquam ad tantam Mercaturæ gloriam pervenisset noster WALTHERUS, si adeo angustos limites suis cultoribus præscriberet Mercatura: itaque iste, in hac re quam maxime versatus, contineri se non passus est, ut circa unum mercium genus suam occuparet diligentiam; aut ab Hamburgensibus, ut consuetudo fert, sibi istas coëmeret; sed ipsos adiit fontes, & prævia diligenti exploratione, quid Mecklenburgica Regio proferat, peregrinis Nationibus acceptum, aut utile, ac necessarium, commercio cum Gallis, Anglis, ac Batavis instituto, ac permutatione mercium facta, pro indigenis peregrinas reportavit, & cum insigni emolumento, ad nos reduxit. Ex quo proinde apparet, quid homo homini præstet, & quod etiam heic loci Mercatura ulterius excoli queat, si istam exercentes ingenio valeant, & industria: non mirum ergo, si etiam isti, qui majori diligentia & applicatione rebus suis præsumunt, præ cæteris emergant, ipso Summo Numine negotium secundante, & liberalius compensante, quoniam tales Mercatores non sibi tantum, suæque utilitati student, sed etiam ut Reipublicæ profint. Et sane is præcipue, imo unice, boni Civis meretur nomen, qui primario publicam curat utilitatem: huic enim studio, huic labori suam benedictionem Deus potissimum addixit, ut ordinarie largissimum proventum experiantur, qui fideliter, ac prudenter hanc rem agere aggrediuntur. Qui vero unice hoc student, ut suam exsatiarent avaritiam, quæ sæpe insatiabilis existit, & propterea nullam occasionem intermittunt, proximum suum, imo ipsam Rem publicam defraudandi, isti sane nec boni Civis nomen merentur, nec benedictionem cœlestem sibi promittere valent. Nam etiamsi defraudandi istæ artes ex voto ipsis succedant, & Thesauros sibi per iniquitatem corradant, non tamen hisce, divina benedictione destitutis, facile

cile gaudebunt illorum posterum. Nota mihi certe sunt exempla quorundam, qui non aliquot imperialium millia, sed aliquot Centena Aureorum millia, a Parentibus sordide misereque collecta, & majori adhuc sollicitudine asservata, intra annos paucos dilapidarunt, ita ut ad nepotes nullus exinde devenerit fructus: nam

De male quaesitis non gaudet tertius haeres.

Cum autem hodie tanta auri fames apud plerosque sit, ut sibi persuadeant, se ad summum felicitatis pervenisse fastigium, si ingentes congegesserint thesauros, & propterea hodie mercaturæ quoddam genus sit, quaestum ex auro instituere, & variis artificiis eos emungere, qui ob indigentiam, aut aliis ex causis, æs alienum mutuo sumere coguntur, novis titulis, sive vocabulis eum in finem excogitatis, quibus usurariam suam pravitatem, & sordidum ignobilemque quaestum obvelent; ita ut præter usuras *Sex pro Centum*, in Chirographo stipulatas, statim de Toto detrahant, ac præcipiant, 1) die Provision, 2) das Zahlgeld, 3) die douceur, oder gratial; ut taceam quaestus ex diversitate monetarum, von dem l'agio, factos, & quæ sunt alia hujus commatis, quæ sæpe usuras bis, aut ter superant: hinc merito hic quaeritur, annon divites avari optime sibi confulerent, si mature liberos ad idem mercaturæ genus adsuescerent? ostendimus enim mox, quod etiam ingentes thesauri, ab avaris sollicitate corrafi, per malam hæredis administrationem facile dissipentur. Non autem frustra hanc quaestionem instituo: notus namque mihi est quidam, qui a primis pueritiæ annis liberos suos ita instruit, ut munuscula a se, aut matre oblata, non pro gulæ oblectamentis dispergant, sed sollicitè asservent, & quamprimum summam imperialis obtinent, statim eam egenis, pignore prius accepto, mutuo tradant, usura menstrua stipulata. Hac ratione enim adsuesci juventutem posse credit, ut rerum Domini aliquando facti, non temere suum peculium dilapident, sed potius artificiose, secundum traditas regulas, continuo illud augere calleant; stolidam tamen præcautionem; quasi Deus mediis careat, justis ac æquis, ut pecuniam injustis ac iniquis mediis concarcinatum, successori eripiat? Ponamus autem id possibile esse; ponamus, filium tam provide institutum, vitam vivere didicisse, sorti suæ convenientem, adeo, ut si necessitas postulet, etiam genium defraudare sciat, quo aliquid ex dimenso seponatur: *Daß Er gewohnt sey immer weniger zu verzehren, als Er hat, oder verdienet*, sic enim nunquam deficere poterit occasio, per consueta usurarii quaestus artificia, successive rursus aliquid corradere, tandem ditescere, donec ex fece plebis denuo emergat. Quid autem exinde tandem fiet? Pecuniæ Helluo, Fraus, Perjurus, qui nihil tam æquum, sanctum, aut honestum reputabit, quod lucri causa non lubens contemnat:

Nullus enim magni sceleris labor: Hæc ego nunquam

Mandavi, dices olim, nec talia suasi.

Mentis causa malæ tamen est & origo penes te.

Nam quisquis magni census præcepit amorem,

Et lævo monitu pueros producit avaros,

Et qui per fraudes patrimonia conduplicare

Dat libertatem, totas effudit habenas

Curriculo: quem si revoces, subsistere nescit.

B 2

Itaque

Itaque liberorum nostrorum fata committenda, & commendanda sunt, Providentiæ divinæ: hæc etiam eorum geret curam, si ea fuerint digni: non enim in humana potestate situm, prospicere posteritati. Hoc tantummodo curandum Parentibus, ut, post pietatem, filius mature animum ad Studium aut Artem aliquam applicet, & quidem serio; ignaviam vero, comessationes, & ociosas per urbis compita discursiones, instar pestis evitet. Qui enim in Disciplina, cui suam industriam addixit, rite est versatus, nec labori parcat, is certissimum obtinet Thesaurum, nullis temporum injuriis, nec rapacibus furum manibus obnoxium, ac semper in promptu habebit, quo sibi suisque prospiciat. Eodem plane animo beate Defunctus Noster, nunquam ad turpe sordidumque quæstus exercitium, supra a nobis notatum, liberos suos pellexit, ab omni vili quæstu ipse penitus abhorrens, nec instar avari Euclionis vitam instituens, sed conditioni ac dignitati suæ convenientem. Honestis autem modis dite scere, & ad lautam rem familiarem pervenire, non solum justum esse, sed & rationis dictamini conveniens, agnovit facile; & propterea, uti ipse allaboravit, suamque gloriam in eo posuit, ut mercimoniorum florem promoveret, sic etiam, ut Filius Mercaturæ suam diligentiam addiceret, optavit, & voti felicem eventum vidit ipse, ac supervixit. Cum ergo is per totam vitam optimum egerit Civem, & ultimis etiam annis senatorio munere insignis, de Republica, utraque ratione, bene meruerit, dignissimus omnino est, cujus Progeniem ac Fata paulo specialius nunc perlustremus.

Dominus WALTHERUS STEIN, Rostochii natus, lucem primam adspexit Anno MDCLXVIII. Die XV. Martii, Patre ejusdem Nominis Dn. WALTHERO STEIN, Mercatore & Zythopepta Florentissimo, ac Xenodochii Præfecto dexterrimo; Matrem vero exosculatus est ANNAM HINCKELMANNIAM, Sexus sui verum ornamentum.

Avus Paternus, Vir Plurimum Reverendus, ac Doctissimus, Dnus. JOHANNES STEIN, in libera Imperiali urbe, Lubeca, ad ædem D. Jacobo sacram Archidiaconum egit, & Fidissimum & Vigilantissimum, Thori sociam habens Matronam honestam, BELHAM PETERSENIAM.

Proavus Paternus, Vir Nobilissimus, ac Perstrenuus, Dn. HANS STEIN, militari gloria clarus, a Lubecensibus Navem bellicam concreditam habuit, cui ut Præfectus, als Schiff-Capitain, præesset. Hic, cum aliquando navale prælium cum Piratis in Oceano Hispanico acre habuisset, admodum anceps, ac periculosum, & tandem salvus exinde evaderet, in ejus rei memoriam, Insignis Familiæ, quæ Lapidem, Cubica forma præditum, cum Stella continent, superaddidit Lunam falcata, tanquam insigne Turcarum, Stellæ oppositam; Lapidem vero literis D. N. S. ornavit; quæ sequentia denotant verba: DEUS NOS SERVASTI; vel DEO NOSTRO SERVATORI. Hujus conjux, sive Proavia Nostri Defuncti, fuit ANNA SCHROEDERIA.

Avus maternus Ipsi obtigit Dnus. DAVID HINCKELMANNUS, Zyphopepta item, ac Mercator Rostochiensis Felicissimus, qui matrimonio sibi junctam habuit Dn. CATHARINAM KUSTERIAM Viri Experientiss. atque Excell. Dni. HENRICI KUSTERI Medicinæ Doctoris, & Christiani IV. Regis Daniæ, Archiatri, Neptem.

Proa-

Proavus Maternus, Vir plurimum Reverendus, ac Religiosissimus, Dn. M. PETRUS HINCKELNANNUS, Archidiaconus hujus loci, ad Templum D. Jacobo dicatum, Vigilantissimus, Gravissimus, qui Antecessoris sui, Viri Summe Reverendi, Dni. DAVIDIS LOBEKENII, Theologiae Doct. & Profess. nec non Archidiaconi Jacobei, relictam Viduam, ac Venerabilem Matronam, Dn. ANNAM SCHACHTENIAM, sibi Thori sociam elegerat, Filiam Viri maxime Reverendi, Domini VALENTINI SCHACHTII Theolog. Doct. ac Profess. & ad Templum Jacobæum Pastoris Primarii, summopere de Ecclesia meriti.

Ex adeo Nobili ac Venerabili Profapia genus ducens Noster WALTHERUS, domestica exempla abunde habuit, ad quæ vitam moresque componeret: hæc enim istis, qui degeneri non sunt animo, incitamento sunt, & calcar quasi addunt, ut dignos se reddant suis majoribus, certe nihil facile committant, quod dedecori ipsis sit; hinc ex Ephebis nondum egressus, licet animum studiis non primario addixisset, Literis tamen Elegantioribus eum prius voluit excolendum, eumque in finem Scholam publicam frequentans, suam diligentiam abunde probavit suis, qui tum Scholæ præerant, Præceptoribus, Dn. MOHR, & HENNINGES, Philosophiæ Magistris Præclarissimis.

Annum MDCLXXX admodum fatalem ac lugubrem expertus est; nam hoc ipso Amantissimum desideravit Patrem, morte præmatura sibi abreptum, & propterea acerbissime doluit.

Tandem vero ad Adolescentiæ annos delatus, STETINUM abiit, ut Mercaturæ se idoneum redderet, ibidemque operam suam addixit Mercatori magno ac felicissimo, quam etiam adeo strenue ac fideliter præstitit, ut brevi & Patroni benevolentiam, & non levem sibi pararet in hoc quæstus genere peritiam.

Quandoquidem autem omnia Mercaturæ arcana haud facile uno in loco addiscuntur, post transacta Tyrocini tempore, WISMARIAM se contulit, & successive alia quoque adiit loca, donec Anno. MDCXCV. sufficienti peritia instructus, & consuetudo suo Symbolo, *Ora & Labora*, confusus, quam aliis huc usque felici successu probaverat industriam, in proprium Patriæque vertere commodum destinavit, instituto eum in finem Rostochii modico commercio, donec successive, postquam ex voto omnia succedere perspiceret, illud latius latiusque extenderet, Numine Summo, adeo benignissime conatibus annuente, ut gratiam divinam, quamvis eam submisso animo veneraretur, nunquam tamen digne satis deprædicare potuerit.

Cum autem crescente successive commerciorum mole, ac amplitudine, non ulterius curandæ rei familiari sufficeret, ipse, ob corporis teneritudinem, quietis interdum ac recreationis indigens, hinc Anno MDCXCVIII. fidam thori sociam circumspexit, talemque etiam invenit in liberalis indolis virgine, ANNA SOPHIA, Dn. JOACHIMI BENZINI, Mercatoris quondam & Zythopeptæ relicta filia; ex quo suscepit duos filios, rotidemque filias. & quidem

1) ANNAM ELISABETHAM. Anno MDCXCVIII. Die XVIII. Nov. in lucem editam; quam postmodum ad nubilem ætatem delatam, Anno MDCCXVII. Die XXIX April, Dn. ALBERTO FRIEDERICO WIENKE, Mercatori Nobilissimo, ac Felicissimo, desponsa-

C

tam,

tam, in matrimonium dedit; & exinde duos Nepotes vidit, Nep-  
temque.

HENRICUM WALTHERUM, Anno MDCCXVIII. Die VI. Julii  
felici partu exclusum; ast hoc ipso anno, Die IX. Septembris,  
morbo fatali extinctum.

CATHARINAM DOROTHEAM, natam Anno MDCCXXI.  
Die XXVII. Junii.

HENRICUM WALTHERUM, Anno MDCCXXIV. Die VII. Sept.  
luci primum expositum; optimæ spei puerum, ast præmaturo  
fato Anno MDCCXXXIII. Die XIV. May. terrenis ereptum.

Ipsa quoque horum parvulorum mater, ANNA ELISABETHA,  
ultimis quatuor vitæ suæ annis, variis morbis, imprimis Hæ-  
moptysi vexata, tandem Anno MDCCXXVIII. Die VII. Martii  
post perpeffam Pleuritidem, Empyematica periit.

II.) Dn. JOHANNEM MATTHIAM STEIN, Mercatorem ac Mate-  
rialistam heic loci Florentissimum; qui in lucem prodiit An. MDCC.  
Die XXVIII. Decembr. Hic ipse, postquam An. MDCCXXXIV. Die  
XI. Maj. felici matrimonio sibi junxerat, Nobilissimam, & admodum  
liberalis animi Virginem, WILHELMINAM, Viri quondam pluri-  
mum Rever. Dni. HERMAN. WOLFFII, Verbi Divini ad D. Nicolai  
in Emporio Hamburgensi, Ministri, Fidelissimi, Religiosissimi, reli-  
ctam Filiam, beate Defuncti Nostri Familiam duobus Nepotibus lo-  
cupletavit; quorum primus

WALTHERUS, An. MDCCXXXV. Die XIV. Aug. enixus est,  
alter

JOHANNES HERMANNUS, Anno MDCCXXXII. Die XXVII.  
Jun. in lucem editus, vitali cum fratre suo adhuc fruitur aura; &  
ut diu uterque supersint, in STEINIANÆ Familiæ decus ac solat-  
ium, merito optamus ac precamur.

III.) CATHAR. SOPHIAM, natam An. MDCCII. Die XVIII. Jul. quæ  
postmodum An. MDCCXXIV. nupsit Dn. ANTON. NEUBAUERO  
Mercatori hujus loci ac Zythopectæ, præterito anno demortuo, ut  
propterea nunc tristissimam agat viduam. Ex hoc matrimonio  
beate Defunctus, duos Nepotes habuit, duasque Neptes.

WALTHERUM, An. MDCCXXVII. Die X. Junii, &

DAVIDEM ANTONIUM, An. MDCCXXVIII. Die X. Octobr.  
luci expositos,

DOROTHEAM SOPHIAM, An. MDCCXXIX. Die XVII. No-  
vembris, & denique

REGINAM CATHARINAM, Anno MDCCXXXIII. Die XVI.  
Octobr. felici partu exclusas.

IV.) WALTHERUM, quem An. MDCCIV. Die XXV. Sept. suscepit; va-  
riis tamen morbis, a prima infantia, tentatum, fractumque, & pro-  
pterea imbecillori corporis constitutione præditum.

Annus MDCCV. beate Defunctum Nostrium misere afflixit, & acer-  
bissimo involvit moerore; decessit enim Die XXIII. Aug. cum qua  
huc usque conjunctissime vixerat, uxor, & triste sui desiderium ma-  
rito reliquit. Auxit hunc moerorem Matris dilectissimæ, ANNÆ  
HINCKELMANNIÆ, obitus, An. MDCCVI. Die XIII. Novembr. con-  
tin-

tingens; Netamen magnitudini doloris succumberet, ipsa effecit  
Commerciorum multitudo, ac varietas, successive increfcens, ani-  
mumque diftrahens, ut vacare acerbitati fui affectus non poffet;  
quibus cum accederet administratio rei domesticæ, & parvulorum  
liberorum educatio, quam ipfe, tot negotiis impeditus, recte curare  
non poterat, hinc animum tandem ad novas nuptias applicare adi-  
gebatur, quas etiam post biennium, An. nempe MDCCVII. Die 9.  
Martii, cum Prænobiliffima & Spectatæ Virtutis Virgine, BARBARA  
MARGARETHA, Viri Summe Reverendi, ac Venerabilis, Dni. JO-  
HANNIS NICOLAI QUISTORPH, Theolog. Doct. ac Professoris, Pa-  
storis item ad D. Nicolaum, ac Superintendentis Graviffimi, Filia,  
celebravit, fufcepto etiam ex ipfa An. MDCCVII. Die XIX. Decembr.  
Filio, JOHANNĒ LUCA; qui tamen An. MDCCX. Mense Aprili, æter-  
nitati redditus, novam afflictionem Nostro attulit, & quidem eo gra-  
viorē, quoniam Anno præcedente, MDCCIX. ejus matrem, præma-  
tura morte exftinctam, extulerat, nondum confopito, quem exinde  
conceperat, dolore; Viduus nunc pariter, & filio Orbus.

Aft cum curæ domesticæ, & ætas liberorum impubis, Matrem Fami-  
lias neceffario postularent, hinc An. MDCCXI. Die XII. May. tertia vice  
matrimonium contraxit, fibique junxit Virginem Prænobiliffimam, forma  
venufta, & admodum liberali præditam, ANNAM DOROTHEAM; Viri  
Maxime Venerandi, Religiofiffimi, Dni. FRANCISCI WOLFFII, Theolo-  
giæ Doctoris, & quondam in hac Alma Professoris Famigeratiffimi, Pa-  
storis Ecclefiæ Marianæ Primarii, ac Ministerii Directoris Graviffimi, po-  
ftea apud Hamburgenses, Pastoris ad St. Nicolaum Primarii, & Scholar-  
chæ, relictam Filiam, nunc Viduam mœftiffimam. Nec hocce conju-  
gium sterile tranfit, fustulit enim ex nova nupta Filium, & duas Filias,  
ex quibus

I. FRANCISCUS, An. MDCCXII. Die XXVI. April. natus, parentem  
C. N. O. præceffit, & An. MDCCXV. vitam cum morte commutavit.  
Filiæ vero adhuc fupersunt; quarum natu prima,

II. ANNA CHRISTINA, An. MDCCXIV. Die XIX. lucem Junii adfpiciens,  
nupfit Viro Confultiffimo, ac Prænobiliffimo, Dno. JOHANNI  
GEORGIO BURGMANNO, J. U. Doctori, ac Causarum Patrono  
Celeberrimo, Dexterrimo. Ex quo feliciffimo connubio beate De-  
functus Neptem vidit.

ANNAM DOROTHEAM, An. MDCCXXXVII. Die XVI. Aug. felicē  
partu enixam.

III. ANNA DOROTHEA, An. MDCCXVI. Die XIV. Junii mundo primum  
reddita, Matris afflictiffimæ nunc agit sociam, ac folatium.

Huc usque de Bonis Fortunæ egimus, quæ Beato Nostro in hac vita  
contigere: Fortunæ ea dicimus, quoniam non funt in noſtra potesta-  
te; fluxa quippe, caduca, cafui & fortunæ exposita; quemadmodum id  
ex frequenti jactura fuorum, quos præmiſit Noſter, abunde apparet. Diſpi-  
ciamus ergo nunc Bona Animi, proprie noſtra, & quam maxime Nobi-  
lia; non quod nobis connata ſint, hæc enim ordinarie in pejorem par-  
tem inclinant; ſed quod in potestate noſtra ſit, ea emendare, & in Dei  
honorem, proximique ac publici commodum convertere. Atque hiſce  
Bonis Nobilioribus abunde animum inſtructum habebat Noſter WAL-  
THE-

**THERUS**, non natura; sed quoniam, hæc felicitas ipsi obtigerat, ut ab ipsis parentibus, sinceræ pietati deditissimis, ac honestati vitæque integritati studiosissimis, ab ipsa infantia formaretur quasi, donec habitum contraheret; a quo postmodum per totum vitæ tractum non deflexit. Ipse enim Pietatis, & Cultus divini studiosissimus, publicos Ecclesiæ Cœtus, nisi gravissimis ex causis, quibus impeditus reddebatur, neglexit unquam. Atque eadem ratione domi, cum familia sua, ac domesticis versatus est, ut negotiis quotidianis cultum divinum præmitteret, & vespertinis horis labores peractos hoc ipso clauderet, & quasi obsignaret. Hinc etiam a vanis pejorationibus, quas aliqui ex prava consuetudine continuo, & quasi incogitanter evomunt, ita abhorruit, ut domesticos, qui correctionem non admittebant, ob pessimam hanc consuetudinem, ex ædibus aliquoties exturbaverit. Non tamen propterea sanctum se reputavit, aut ab imbecillitatibus reliquorum hominum immunem se esse, vane sibi persuasit, sed facile agnovit communem suam cum reliquis sortem ac fragilitatem; quam non solum privatim condoluit, sed frequenter, coram consueto Animæ suæ Curatore, confessus est, ut publico Sacræ Cœnæ usu, in Fide Salvifica confirmatus, ad bona opera magis aptus redderetur, horumque exercitio suam testaretur fidem.

Magistratui Urbico debitam reverentiam ac obsequium semper præstitit, seque ut bonum Civem, & verum Patriotam, etiam non sine insigni rei familiaris damno, exhibuit, Patriæ suæ commodum privatæ utilitati præferens: & cum nil magis ad incrementum Urbium aut Regionum conferat, quam commerciorum ubertas, & Mercaturæ varietas, hinc nihil intermisit, quod Patriæ florem ac felicitatem promoveret, navigationibus & commerciis variis, suo periculo, institutis, quorum felicem cum experiretur successum, ad vitæ usque finem ea continuare non destitit. Non enim facile quicquam vano conatu aggrediebatur, sed ponderatis probe omnibus circumstantiis, & semita quasi, per amicum literarum commercium, prius præparata: reliqua vero committebat Providentiæ divinæ, quam in plerisque benignam expertus est, & gratus sæpe numero prædicavit. Cum autem ad utilitatem Provinciæ non faciat mercium peregrinarum illatio, nisi vicissim indigenæ ad peregrinas terras rursus transmittantur, hinc sedulo id egit, ut etiam in hac re probi Mercatoris præstaret officium, instituta etiam eum in finem heic Rostochii peculiari fabrica, in qua insignis Amyl copia quotannis conficitur.

Non latuere Magistratum dexteritas, & merita hujus Viri, unde etiam statim publicis officiis, quæ Optimatibus Civium committi solent, eundem admovere non dubitavit. Imo jam An. MDCCIII. locum inter juratos Ecclesiæ Nicolitanæ obtinuit, ut curam illius gereret; cui etiam officio summa fide ultra viginti annos præfuit, donec An. MDCCXXIV. in Senatum receptus, ab isto exsolveretur.

Ad Senatoriam dignitatem delatus Noster, ut natura plane alienus erat, ab omni iniquitate, & illicita acquirendi libidine; sic ea, quæ in novo officio ipsi committebantur, summa diligentia, fide, ac integritate peregit, cuique suum tribuens, sine ullo personarum respectu; imprimis miseris, aut indigne oppressis, suo patrocínio succurrere, nunquam

quam defuit; erga omnes, etiam plebis infimos, humanus, affabilis, benignus.

Rem domesticam, & commerciorum molem, tam prudenter ordinaverat, ut omnia sine strepitu ac tumultu peragerentur: erga liberos, & reliquos domesticorum, æque moderatus, singulari humanitate quemlibet instruere, admonere, reprehendere, sicque Patrem non minus, quam Dominum agere indulgentissimum, consueverat. Tristia sua fata, a quibus non immunem eum voluit Providentia divina, tanquam totidem castigationes, a manu Benignissimi Numinis inflictas, respexit, & propterea moderato animo non tantum pertulit, sed etiam pro his æque ac innumeris aliis, quæ exinde perceperat, bonis, gratias humilimas se debere professus est.

Constitutionem corporis natura obtinuerat tenerrimam, gracilem, & extuccam, facile morbis obnoxiam, iisque nonnunquam gravioribus tentatam, ac fractam, ut mirum sit, quomodo tot laboribus, curis, innumerisque distractionibus, sufficere potuerit. Nihilominus frugalitate, continentia, imprimis affectuum prudenti moderamine, vitam ad justum perduxit senium, donec ultimo fatali morbo implicatus, tandem succumberet: de quo ut B. L. instruamus, ipsa verba merito hic adduco Medici Ordinarii, ac Domestici, Viri Experientissimi, Excellentiss ac Prænobiliss. Dni, GEORG. CHRISTOPH. DETHARDINGII, Med. Doct. & Professori Ord. Celeberrimi, Famigeratissimi, Collegæ ac Fautoris Nostri Suavissimi, qui ita se habent.

*Fragilem corporis nostri constitutionem, & crebriores exinde pullulantes insultus, conuenienti diæta, & circumspecta attentione, ad ea, quæ sanitati nocumento existere possunt, emendari, auferri, & eo ipso vitam prolongari posse, suo evidentissimo exemplo comprobavit beate nunc Defunctus, septuagenario major. Sub primordiis etenim annorum juveniliū, durior tunc temporis vivendi ratio, nullam, aëris injuriarum, vel victus salubritatis, rationem habens, ansam subministrarunt variis infirmitatibus, quæ imprimis circa ætatem consistentem, accedentibus subinde gravioribus animi pathematibus, in apricum producebantur, ut, plus simplici vice, vel omnis restitutionis spes decolleret, vel cum sanitate tandem quadantenus in gratiam redeuntem, vix ad annum superstitem fore crederetur. Sed, quod Divinæ gratiæ imprimis tribuendum, adhibitis debitis remediis, & observato circa res sic dictas non naturales regimine accurato, semper evasit Noster feliciter; præsertim, cum accedens hæmorrhoidalis fluxus, atque sudores spontanei, matutini, largiores, varia sustulissent, quæ olim incolumitati insidias struxisse cernebantur. Et quanquam, cessantibus aliquando his binis præsidiis naturalibus, infirmitates variæ redire viderentur, tamen resuscitatis eisdem, brevi iterum profligabantur; sicque ludebatur scena, donec natura,*

D

tura,

tura, ingravescente senio, debilior reddita, nec sponte sua, nec artis Medicæ adminiculo, tanto ac olim cum successu, resistere morboſis insultibus potis erat. Hos inter imprimis numerabat dolores Ischiadicos, per vices magna cum sævitia infestantes, Hæmorrhoides mucosas, vices hæmorrhoidum regularium gerentes, Stranguriam, infensissimum senibus hostem, auditus difficultatem, hujusque commatis plura; quæ quidem in tantum superabantur, ut munia sua iterum obire potuerit, facili tamen suo recurſu indicabant, funditus eradicari haud potuisse. Tandem Diarrhæa hæmorrhoidalis, nulla arte auferenda, Beato Nostro morbus exiſtebat lethifer. Sociabant sese statim motus febriles, pulſu interrupto malignitatem insinuantes, dejiciebatur, torminosus sub molestiis, sanguis, nunc sincerus, nunc mucosus viscido intermixtus, nunc pituita tenuior; jungebatur infuſti ominis singultus; animus abjectus, non nisi funesta præſagiebant, & licet ab usu remediorum convenientium, induciæ quandoque exiſterent, has tamen novus semper morbi recurſus, gravitate & vehementia compensabat, donec subſecuta primarum viarum paralyſi, & fractis omnino viribus, animo tamen infracto, & ad ultimum halitum sibi conſtante, placide obdormiverit.

Facile apparet, Cives, Virum, qui per integrum vitæ curſum maximam animæ suæ curam habuerat, nunc potissimum, postquam fatali gravissimo morbo implicaretur, nihil negligiſſe, ut illi imprimis ſalutariter prospiceret, eamque, tanquam partem Nostri Nobiliorem, incontaminatam, certe brevi ab omnibus, quæ nos in hac vita circumstant, imbecillitatibus, corporisque compedibus, exſolvendam, suo redderet Creatori. Hinc iſtuc negotium, quod in hac vita omnium maximum est, & dignitate omnibus aliis præferendum, non ad extremum usque halitum distulit, sed ut mature, cum mentis officia omnia adhuc conſtarent, illud expediret, Confessionarium suum invitavit, quo & fidei, ad vitæ extremum constantis, testem eum haberet, & ejus manu a peccatis absolutus, Sacraque Cœna confirmatus, mortem imminentem tranquillo animo opperiretur. De qua re, ut plenius Vobis conſtet, Virum ipsum, Plurimum Reverendum, Doctissimumque, Dn. M. JOHAN. HENRICUM LEHMANNUM, Pastorem ad Ædem D. Nicolai Vigilantissimum, & Amicum Noſtrum Certissimum, nunc Vobis liſto, ita diſſerentem.

Von dem nunmehr wohlſeel. Herrn Nahts-Berwandten, Herrn Walter Stein, welchen der groſſe Gott nach ſeinem heiligen Willen, zum gröſſeſten Leidweſen der hinterlaſſenen hochbekümmerten Fr. Wittwen, und ſämtl. vornehmen Familie, in dieſen Tagen durch einen gar ſanfften und ſeeligen Tod dieſer Zeitlichkeit entriffen, kan ich mit Grunde der Wahrheit melden, was  
Salo-

Salomon saget : Der Gerechte ist auch in seinen Tode getrost :  
Prov. XIV. 32. Als ein Gerechter hat anser Wohlseelige, sich je-  
derzeit aufgeföhret, indem Er nicht auf seine eigene, sondern auf  
Jesu Gerechtigkeit sich einzig und allein verlassen, der verordne-  
ten Mittel des Heyls fleißig bedienet, zum Hause des HErrn  
gerne gegangen, das Wort seines Gottes mit grosser attention  
angehöret, und zu seiner Seelen Heyl und Seeligkeit angewand;  
zum Gebrauch des heil. Abendmahls sich öftters eingefunden,  
den Armen reichlich gutes erzeiget, und mit seinem ganzen Hause  
Morgens und Abends seinem Gott gedienet. Diesem Gerech-  
ten, hat der Grundgütige Gott und Vater im Himmel diese be-  
sondere Gnade und Wohlthat erzeiget, die Er mit danckbahren  
Herzen, ja mit vielen Thränen, auf seinem Siech- und Sieges-  
Bette erkandt, daß Er in seiner Kranckheit getrost gewesen. Mit  
getrostem Muhte und Freudigkeit seiner Seelen empfing Er zu-  
lest Domin. Septuages. das hochwürdige Abendmahl des Lam-  
mes, nachdem Er vorhero seine Sünden wehmütig erkandt, und  
mit dem Gnaden-Groschen seines Gottes, das ist mit den Wohl-  
thaten, welche sein Jesus Ihm erworben, und allen armen Sün-  
dern anbieten läffet, aufgerichtet und erquicket. Mit getrostem  
Muhte und Freudigkeit seiner Seelen hörte Er, da am Mond-  
tag Nachmittag ich wiederumb Ihn besuchte, die Sprüche von  
dem bitteren Leyden und Sterben Jesu, und nahm sie, mit Bewe-  
gung vieler Umstehenden, zu Herzen. Mit getrostem Muht und  
Freudigkeit seiner Seelen wünschte Er bey seinem Jesu zu seyn,  
daher Er den Spruch Pauli : Ich begehre aufgelöst und bey  
Christo Jesu zu seyn, nicht nur mit einem deutlichen Amen be-  
kräftigte, sondern auch nachhin Selbst zum öfttern wiederholet.  
Mit getrostem Muht und Freudigkeit seiner Seelen empfing Er  
am Dienstage von mir den letzten Priesterlichen Seegen, Er rich-  
tete sich auf, entblößete sein Haupt, war unerschrocken; und wie  
ich hierauf Abschied nahm, und Ihm von Herzen wünschete, daß  
Gott, bey dieser Freudigkeit, und in wahren Glauben auf das  
Verdienst Jesu, bis ans Ende Ihn erhalten wolle, gab Er mir  
zur Antwort : Das thue Gott umb Christi willen. Bey dieser  
Freudigkeit ist Er geblieben bis an sein letztes Ende, da Er stets  
geseuffzet : Und wann ich nicht mehr reden kan, so nimm mein  
letztes Seuffzen an, durch Jesum Christum Amen. Imgleichen:  
Höre Jesu noch ein Flehen, schlag mir diese Bitt nicht ab, wenn  
mein Augen nicht mehr sehen, wenn ich keine Krafft mehr hab,  
mit dem Mund was vorzutragen, laß mich doch zulezt noch sagen:  
D 2 Ich

Ich bin dein, und du bist mein, allerliebstes Jesulein; worauf Er bald gar sanfft eingeschlaffen. Wer wolte bey diesem seeligen Tode nicht wünschen: Meine Seele sterbe des Todes dieses Gerechten, und mein Ende werde wie Sein Ende Num. 22. 10.

Itaque Vir de Familia sua, quam splendidissimam reliquit, de Ampliff. Senatu, & denique de integra Republica, optime meritus, inter pias circumstantium preces, Animam, quæ rationis officium ad extremum spiritum servavit, sine anxietate, sine corporis violento motu, placide rediens, occubuit, Die XXVIII. Januarii, circa horum IX. vespertinam, postquam ad annum LXXI. vitam bene actam perduxerat; Familiæ suæ mœstissimæ acerbum sui desiderium, omnibus exemplum relinquens, quod suspiciamus, quod serio imitemur. *HEX* lehre uns bedencken, daß wir sterben müssen, auff daß wir klug werden.

P. P. Sub Sigillo Reſtorali.


Anno MDCCXXXIX. Die X Febr.





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



LBMV Schwerin 33  
000 184 241



